

quia talis prævaricator eadem pœnâ publicâ afficitur, à qua reus per prævaricationem absolutus est, quamque subire debuisset si ipse in legem comisset; ut habetur lego 6. ff. de Prævaricatione. Advocati adjuvantes dolo malo partem suo clienti adversam, extra ordinem puniuntur, & hodie universim Prævaricatores, ut notat Corvinus in hunc tit.

De Prævaricatoribus existit in Carolina Ord. Criminali a. 117. Si Procurator ex proposito dolo malo in præjudicium partis suæ, & in favorem partis adversæ gerit, & de hoc convictus fuerit, talis parti suæ imprimis pro damno causato omni possibili modo satisfaciatur, deinde ad numellas positus virgis castus relegatur, vel alio modo pro qualitate commissi delicti puniatur.

Proditio.

SVMMARIVM.

Quid requiratur, ut quis sit & dicatur Proditor. 534.
Quæ pœna sit constituta in Ord. Carolina. 535.
Quæ pœna in Jure Civili. eod.

534. **V**T quis dicatur Proditor, requiritur, ut vel debitam alteri fidem frangat, vel simulando unum facere, cum aliud habeat in mente, alteri insidias struat. Hinc Proditor dicitur (exempli causâ) qui tela hostibus dat, contra fidem patriæ debitam. Et tales supplicio ultimo & bonorum confiscatione puniuntur. L. 2. C. Quæ res exportari non deb. ibi. [Perniciosum namque Romano Imperio, & proditori proximum est, Barbaros quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquod armorum genus, quarumcunque nationum Barbaris alienigenis contra pietatis nostræ interdita ubicunque vendiderit, bona ejus universa protinus sisco addici, ipsum quoque capitalem penam subire decernimus.] Item qui patriæ vel Principis sui milites in hostium inducit insidias. Item qui ad hostes literas mittit in præjudicium patriæ vel Principis, vel secreta revelat: qui locum sibi concredidit deserit, aut hosti tradit, vel ad hostem deficit. Qui permittit hostem per suum territorium transire: qui secretum sibi commissum in præjudicium committentis revelat. Qui aliquem dolose circumvenit, inopinantem, simulatâ amicitia lædit &c.

535. Proditionis pœna traditur in Ord. Criminali Carolina a. 124. Qui prodicionem

malitiosam fecerit, secundum consuetudinem in quatuor partes secundum mortem punietur. Si fuerit femina, submergetur. Et, si proditio magnum damnum aut scandalum dare posset, veluti si quis provinciam, civitatem, suum dominum, conjugem, vel sanguine propinquum prodiderit, pœna exasperari potest, tractione ad locum supplicii, vel adulatione per forcipes. Judicio tamen Jurisperitorum posset quandoque decapitatio precedere sectionem in quatuor partes. Ab hoc tamen prodicionis crimine ejusque pœna immunis est, qui crimen & criminosos deferunt ad Magistratum, à quo ad explorandum destinati sunt.

In Jure Civili existant & aliæ pœnæ. Nam filii proditorum sunt incapaces successione, tam ex testamento quam ab intestato, ut notat DD. in leg. 5. C. ad L. Jul. Majest. Deinde Proditor non habet potestatem faciendi testamentum, ut tradit Baldus in l. 1. C. militibus. C. de testam. milit. De Vasallo prodente suum dominum dixi in tract. de Feudis.

Rapina.

SVMMARIVM.

Quæ pœna Rapina constituta in Ord. Carol. 536.
An sufficiat unus Rapinae actus. 537.
An ob superadditam vulnerationem pœna sit exasperanda. eod.
An Nobilitas, vel materia parvitas excuset ab ordinaria pœna. 538.
An rapina sit, incusso metu obtinere, ut alter rem sponte tradat. 539.
An eadem pœnâ pleciendus, qui non in via publica rapinam exercet. 540.

536. **D**E Rapina, prout fundat Actione civilem, egi tract. 2. à n. 263. Deinde remitto lectorem ad ea, quæ supra de Latronibus & Grassatoribus dicta sunt. Nam ex ibi dictis constat, Rapinam quidem semper esse contentam in latrocinio, sed non contra latrocinium esse contentam in rapina. Grassatores enim seu raptores sunt, qui vi adhibita spoliant, sed non occidunt; latrones autem qui occidunt, ut spoliant, vel à spoliato non prodantur.

Rapina supplicium statuitur in Ord. Carolina. a. 126. ubi indifferenter Raptores malitiosi ac convicti mortis pœnâ affici jubentur, sed quoad genus mortis & supplicii observatâ regionis consuetudine: & solet in Imperio esse pœna gladii,

gladii, & quandoque etiam, ut cadaver Rotæ imponatur.

537. Dubitatum est I. An ad hanc pœnam infligendam sufficiat, semel rapinam exercuisse. Negat aliqui, sed affirmat Carpovius, idque probat ex art. 126. Ord. Carol. ubi dicitur. Quivis malitiosus prædator secundum communia Jura Imperialia gladio puniatur. Arqui semel exercens deprædationem, recte prædator dicitur, sicut, qui semel peccat, peccator.

Dubitatum est II. An, si deprædator insuper vulneret, sed sine animo occidendi, pœnâ sit exasperanda. Negat Carpovius p. 2. q. 90. n. 30. putans minus delictum à majore absorberi, & pœnam gladii sufficere. Ego jam supra innuavi, contrarium mihi probabilis videri, non enim in spoliatione ita involvitur & includitur vulneratio, sicut in homicidio. Imò sæpe gravius dolet vulneratio quam deprædatio: sed de hoc iterum in seq. tract. c. 11. controv. ult. ubi dicitur, quid in hoc puncto habeat consuetudo.

538. Dubitatum est III. An Nobilitas, vel Parvitas Materie excuset à pœnâ ordinaria. R. Ex communi DD. neutrum excusat, tum ob generalitatem verborum Ord. Carolinae, tum quoad parvitatem materie ex ratione speciali, ob quam tam severe puniuntur Robbaria seu prædatio, nempe quia intenditur securitas viarum publicarum, quæ non minus turbatur, si homines intelligent, aliquem esse spoliatum parvæ re, fortè quia plus non habuit, quam si multum ablatum sit: semper enim manet metus incidendi in talem grassatorem, & sic pax publica est turbata, & securitas ablata. Ex qua valida ratione etiam de rigore juris non est patendum illi, qui fortè post factam rapinam penitentia ductus rem ablatam restituit. Per hoc enim in aliis metus non tollitur, nec securitas ablata restituitur aliis, quia non constat de talis hominis motivo restituenti, & serâ ac constanti penitentia. Quamvis Carpovius suadeat, ut tali non difficulter gratia fiat, & pœna gladii in mitiore commutetur.

539. Dubitatum est IV. An ad delictum Rapinæ spectet, si quis non quidem vi adhibita victori suum eripiat, sed solo incusso metu adigat, ut ipse sponte tradat. Ratio dubitandi est, quia videtur pertinere ad speciem Concussione, (de qua supra actum) quæ fit, quando Judex vel Magistratus metu suæ auctoritatis extorquet injuste pecuniam. R. Possit esse quæstionem de vocabulo, an talis debeat dici prædator, an concussor. Loquendo verò de re, & de pœ-

na, dicendum est cum Carpovio p. 2. q. 90. n. 68. talem eadem prædationis pœnâ pleciendum esse, quia continet totam formalem malitiam prædationis, nempe turbationem pacis & securitatis publicæ.

540. Dubitatum est V. An eadem prædationis pœnâ ordinariâ sit afficiendus, qui non quidem in via publica, sed in villis, aut privatis adibus rapinam exercet. Negat Carpovius, nisi magnam vim, & domus devallationem adhibuisset. Ratio esse potest, quia licet unicuique domus sua debeat esse tutissimum asylum, quia tamen quisvis potest se in sua domo aliis modis facillius tueri, quam in via publica, non videtur opus esse tantâ pœnâ ad absterrendum à tali domesticâ rapina, quam à publica.

Raptus.

SVMMARIVM.

Quando committatur crimen Raptus. 541.
Quæ sit pœna Raptus. 542.
Statutum Concilii Tridentini. 543.
Constitutio Criminalis Carolinae. 544.
Constitutio Novelle 150. eod.
Quomodo puniatur Raptus alicujus Sanctiimonialis. 545.
Quid si femina dicat, se non invitam raptam esse. 546. & seq.
Quid si mas marem raptat libidinis causâ. 548.
Quid si femina virum. 549.
Quid si Raptor feminam non cognovit. 550. & seq.
An raptus meretricem excusetur à pœna ordinaria. 552.

541. **C**rimen Raptus committitur, quando femina honesta libidinis explosione causâ vi de loco in alium locum moraliter diversum, (non de camera in camerâ) abripitur: etiamsi eam non cognovit carnaliter, quia fortè non potuit, aut impeditus fuit, ut tradit Julius Clarus hoc. §. qui insuper notat, quod etsi non possit proprie dici raptor, qui commodioris coitus causâ puellam in aliam ejusdem domus cameram abripit, vel in campo deprehensam ad aliquot passus adducit, ut occultetur oppressio, nihilominus talis ob vim illatam mortem mulcandus sit, ut habet communis praxis.

542. **Q**ueritur I. Quæ sit pœna Raptus. R. De hac existat lex unica. C. de Raptu virginum. §. 1.

seu viduarum nec non Sanctimonialium. pr. [Raptoris virginium honestatum, vel ingenuarum, sive iam desponsata fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum feminarum, licet libertine, vel servæ alienæ sint, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos decernimus, & maxime si Deo fuerint virgines vel viduae dedicatae. &c. sancimus per hanc generalem constitutionem, ut hi qui huiusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium invasionis tempore præbuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina & adhuc flagranti crimine comprehensi, & a parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet feminarum, aut earum consanguineis, aut tutoribus vel curatoribus, vel dominis vel patronis vel dominis convicti, interficiantur. Quæ multo magis contra eos obtinere sancimus, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere, quia duplici tenentur crimine, & adulterii & rapinae: & oportet acerbius adulterii crimen ex hac adjunctione puniri. Quibus annumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam rapere ausus fuerit &c. Quibus, si appellare voluerint, nullam damus licentiam. &c. Sin autem in ingenuam personam tale facinus perpetraret, etiam omnes res mobiles seu etiam immobiles, & se moventes, tam raptorem quam eorum sodalium, comitem vel sequentium, qui eis auxilium præbuerint, ad dominium raptarum mulierum liberarum transferantur &c.]

543. Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. Matr. cap. 6. statuit, ut inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum consistat matrimonium. Raptor dicitur raptam, sive eam ducat, sive non. Excommunicantur consentientes raptui. [Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta, à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi auxilium & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces. & si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.] Circa quod decretum, quando, & in quo raptu locum habeat, videantur Theologi allegati in *Remissionibus*.

544. Ordinatio Criminalis Carolina a. 118. sic statuit. Si quis alicui suam uxorem, aut honestam virginem contra mariti aut legitimi patris voluntatem inhonestè abduxerit, liceat marito & patri, non obstante quòd uxor aut filia

consentiat, accusare: & reus secundum Constitutiones nostrorum Antecessorum (*sanctas*) & nostrorum Jurium Imperialium puniatur, adhibito desuper consilio Jurisperitorum.

Denique Novella 150. sic statuit. [Præfens consuetudo confirmat penas in constitutione ipsam præcedente prædictas. Juber enim ne puella raptam passa raptori suo nubat. Sin verò hoc fecerit, non succedit ei, cujuscumque tandem seclæ & ætatis sit. Nam si ipsi conjuncta non fuerit capiet omnia bona ejus. Si parens consenserit in raptum passæ filia suæ, ut raptori suo copuletur, mittetur in exilium. Si mortuus est non præbit consentiens, tunc raptoris bona confiscantur, videlicet cum nefariæ sint ejusmodi nuptiæ, si dento raptori suo raptum passa puella copuletur.] Verum, ubi Tridentinum quoad reformationem de Matrim. receptum est, illi, ut antè relatum, standum est. Sed insuper notandum ex Antonio Perez, quòd Matrimonii approbatio post factam puellæ in loco libero restitutionem, & privatus consensus mulieris, non impediatur, quominus vindicta fumatur de crimine Raptus, ejusque penis subjiciatur: quia non punitur matrimonium, sed modus illud illicitè aucupandi. Etenim per matrimonium factum quidem est honoris raptæ puellæ, sed non Republicæ læsæ, cui satisfaciendum per penam hac lege Nov. præscriptam, ut etiam tradit Clarus. n. 8. (quamvis referat præjudicia quædam in oppositum) dicens, Regem Hispaniæ justissè decipitari raptorem etiam post contractum matrimonium. Ceterum, quidquid sit de pena corporali, procul dubio alia pena v.g. ablatio & translatio bonorum, locum habet non obstante matrimonio etiam de Jure Canonico. Et hoc bene confirmat Perez ex decreto relato Concilii Tridentini: quia post contractum matrimonium decernit illum non evitare excommunicationem, & infamiam, quam committitur incapacitas dignitatum.

545. Circa raptam Sanctimonialem illud insuper observandum, raptorem capite plecti, & ejus bona adscribi monasterio, in quo stuprata morabatur. Quod si consenserit in stuprum, de proprio monasterio extrudatur, & in arctibus deturditur. Illud habetur cap. pen. Nov. 123. ibi. [Hujus res ex talis sceleris participio jubemus venerabili loco in quo talis femina habitat, per locorum SS. Episcopos & Oeconomos eorum, nec non etiam cujuslibet provincie judicis & eorum officia vindicari.] Utrumque verò habetur in can. 30. ca. 27. q. 1. ubi recitatis verbis allatis ex Novella, adjungitur. *Mulier autem ubique investigateur, & cum suis rebus caustiori Monasterio tradatur.*

546. Quæritur. II. An Raptor à pena ordi-

ordinaria excusetur, si femina rapta dicat se consensisse, nec invitam raptam esse. *re. Affirmative ex communi DD. & in praxi observata sententia apud Julium Clarum, qui dicit, secundum aliquos etiam illos dici raptorem, qui blandimentis & verbis deceptoris puellas, nullâ vi adhibita, libidinis causâ abducunt. Responso colligitur ex legis unicæ C. de raptu virg. illis verbis: sive volentibus sive nolentibus. Et ex Ord. Car. a. 118. ibi. non obstante quòd mulier vel virgo consentiat.*

547. Dices. Volenti non fit injuria. *re. i. Præsumi, virginem non fuisse consenturam, nisi verbis & artibus dolosis, adeoque injustis modis fuisset persuasa: & ideo contra mulieris confessionem admittuntur testes de credulitate ad probandum, quòd mulier non sponte consensit, ut ait Perez. Ego verò existimo, tali probatione non esse opus, inspectâ Ord. Carolinâ, sed potius raptori incumbere probare, quòd mulier sponte, & abique dolo consenserit: quo casu censet Decianus, in tali casu non committi raptum, nec talem mortis penam puniendû, etiamsi parentibus & cognatis invocatis & reclamantibus abducta fuerit, quod probabiliter defendi posse opinatur etiam Perez, & absolute tenet Gilhusus. De quo vehementer dubito, ob verba generalia & rotunda tum legis unicæ, tum Ord. Carolinæ, & quia tunc gravis injuria & vis fit parentibus & cognatis, quibus rapitur femina. Nolo tamen adductæ auctoritatis me opponere: quæ saltem tunc procedit, quando non libidinis causâ, sed pro matrimonio ineundo puella abducitur consentiens, præsertim si jam est desponsata. pro ut aperte habetur cap. 6. de raptoribus. [Respondemus, quòd cum ibi Raptus dicitur admitti ubi nil antea de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent.] Unde etiam ex communi Theologorum, Sanchez, Lessius, Valentia, Reginaldus, Coninck, docent, Decretum Tridentini irritans matrimonium, non procedere, quando puella sponte consensit, etiam repugnantibus parentibus. Et similiter docent, non habere locum, quando raptus sit præcisè causâ libidinis exercende, sed solum, quando fit ad matrimonium obtinendum, cujus libertati vult favere Concilium.*

548. Quæritur III. An Juribus allatis comprehendatur, si mas marem rapiat, explenda libidinis causâ. *re. Quamvis hic casus non comprehendatur in Juribus adductis, (quæ videntur loqui de explenda libidine per naturalem copulam) committitur tamen vis publica, & ex lege Julia C. de vi publ. (de qua pluribus infra) punietur, l. 3. C. de vi publ. Si confidit sponsam filii tui raptam esse, vel filium tuum inclusum,*

instituire solenni more legis Julia de vi accusacionem apud Præsidem provincie non prohibebis.] Tradit etiam Decianus ex Baldo & aliis quòd si quis rapuerit masculum novitium à religione, capite punietur. Sed lex pen. C. de Apollatis, quam adducunt, loquitur in casu speciali. [Eum qui servum sive ingenuum invitum, seu suasionem plectendâ ex cultu Christianæ Religionis NE. in nefandam seclæam ritumve tradiderit, cum dispendio personarum, capite plectendum esse censemus.]

549. Quæritur IV. Quid Juris, si femina viri libidinis causâ rapiat? Decianus lib. 8. c. 7. n. 27. in fine tenet cum quibusdâ aliis, quòd non comprehendatur dictis legibus & penis. quia, inquit, masculus, & ejus parentes & consanguinei non patiuntur eam injuriam, quam patitur mulier, & ejus parentes, nec tanta est infamia, super quibus rationibus se fundant leges adductæ. Verum, si vilis meretricula rapuerit nobilem adolescentem, vel ipsum malis artibus subduxisset, putarem (inquit Decianus) eam gravissimis penis, arbitrio Judicis pro facti circumstantiis puniendam. Itâ Decianus, & ferè etiam Perez.

Mihi tamen iste discursus non probatur. Si enim gravitas principalis hujus delicti defumenda esset ex conditione persone rapientis & rapte, & quarum honestas in communi hominum estimatione in pretio est, sequi videretur, quòd non esset ordinariâ penâ plectendum vir nobilis, si puellam honestam quidem, sed plebejæ conditionis raperet: quasi verò honestas alicujus juvenis non valde nobilis, qui tamen ex bonitate indolis possit aliquando in virum emergere, non tanti pretii sit, quam alicujus plebejæ puellæ, quæ semper plebejæ ex sexis conditione mansura est. cur ergo, minus puniendâ sit femina non omnino propudiosa, rapientem honestum juvenem non nobilem, quam homo nobilis rapientem puellam plebejæ conditionis? & tamen omnes DD. dicunt, Nobilitatem rapientis, & ignobilitatem raptæ, non excusare à pena ordinariâ, ob generalitatem verborum legis.

Mihi ergo magis placet sententia Tiraquelii, apud eundem Decianum, & aliorum, volentium, quòd penæ legis allatæ habeant locum etiam in muliere rapiente virum. Nec refert quòd lex hoc non in specie ponat, forte quia est casus raro contingens, ratio enim legis in hoc pariter urget. Sanè Angelus scribit, se vidisse in civitate Florentiæ quandam meretricem comburi, quòd rapuisset plurimum juvenem. Itaque hanc sententiam tenet etiam Baldus, & Hippolitus communem vocat.

550. Quæritur V. An Ordinariâ pena locum habeat, si raptor familiam non cognovit.

vit. Negat Harpprecht, Gilhusius, & alii. Alii affirmant, quibus tum demum accedit Clarus, (ut supra memini) si vel non potuit, vel impeditus fuit. Huic sententiæ ego indubitanter adhaereo, quia fundamentum adversariorum planè nullum est. Dicunt, in tali casu non procedere rationem à lege allatam, nempe quia Virginitas vel castitas ablata restitui non potest. Verum, isti AA. non satis sincerè adducunt rationem legis, at legenti patet, & sic habet. [Capitis supplicio plectendos decernimus, & maxime si Deo fuerint virgines vel viduae dedicatae, quod non solum ad injuriam hominum, sed etiam ad ipsius omnipotentis Dei irreverentiam committitur: maxime NB. cum virginitas vel castitas corrupta restitui non possit.] ubi illa repetita particula *maximè*, est ponderanda: Nam sicut ex priore male inferretur, quòd raptus alicujus non Monialis non sit puniendus poenâ capitis, ita nec ex posteriore rectè inferretur, quòd non violata virginitate & castitate non sit eadem poenâ puniendus. Itaque sensus legis potius est iste, quòd actualis violatio longè magis mereatur illam poenam, & talis minus sit dignus Principis clementiâ. Ratio Conclusionis hæc mihi esse videtur, quia per hanc legem non punitur principaliter ablatio Castitatis, (sic enim Raptus cum Stupro confunderetur) sed punitur malitiosa intentio & conatus ille violentus, privandi feminam tanto castitatis decore, quod raptus scit à se restitui non posse.

§ 51. Confirmo hanc declarationem ex eo, quòd tum in lege unica citata, tum in lege anteriore, quæ est § 4. C. de Episcopis & Clericis, (in qua eadem reliqua verba habentur, sed ratio illa ablata virginitatis est omisa) detur privatis personis quibusdam facultas occidendi raptorem in flagranti crimine raptus, adeoque ante violationem deprehensum, ut omnes DD. intelligunt, his verbis. [Qui itaque hujusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium tempore invasionis præbuerint, ubi NB: inventi fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagrante crimine deprehensi, à parentibus Sanctimonialium virginum, vel viduarum, vel Diaconissarum, aut earum consanguineis, vel tutoribus seu curatoribus convicti interficiantur.] in lege unica C. h. t. extenditur etiam ad raptorem aliarum familiarum. Si tales ergo à parentibus aut tutoribus occidi possunt, ante violationem perfectam, quidni à Judice: imò in lege § 4. subjungitur, quid agendum sit Judici, si raptor per fugam aut potentiam evasit. Legatur utraque lex (quæ valde longæ sunt) & apparebit poenam imponi Raptui seu violentæ cum intentione violandi, præcisando ab actuali violatione.

§ 52. Queritur VI. An raptus meretricem,

semper excusetur ab ordinaria poena. Ratio asserendi est, quia lex expressè mentionem facit honestarum feminarum. Respondeo tamen, meretricem posse desinere esse meretricem, & agere poenitentiam vitamque honestam, ut constat de S. MARIA MAGDALENA, MARIA Aegyptiaca, Aglaide & aliis. quare, qui sciens talem ad vitam honestam rediisse, eam rapere libidinis explenda causâ, non dubito quin poenâ gladii puniendus esset, quòd etiam sentire videtur Decianus c. 7. n. 14.

Ceterùm, qui rapere publicam meretricem, sed invitam, ob vim puniretur, non ob raptum de quo hic agitur, & quidem, teste Claro, poenâ arbitraria. Unde, quòd apud eundem legitur, aliquem Florentinum ob raptum ex prostibulo meretricem fuisse suspensum, mihi persuadeo, ex aliis circumstantiis vim illam aggravantibus, ita judicatum fuisse.

Repetundarum Crimen.

§ 53. Committitur à Judicibus recipientibus Munera, ut aliquid faciant vel non faciant, de quibus est titulus ff. ad l. Julianam repetundarum, ubi lege 7. §. fin. statuitur, quòd damnati extra ordinem, puniti soleant, & plerumque vel exilio, vel durius. & lege 6. prohibentur testimonium dicere, iudices esse, & postulare. De his alibi egi, & dolent multi, quòd hodiernis moribus hoc crimen pro non criminè habeatur apud non paucos, nec facile contingat, ullum ex hoc crimine condemnari. de quo videtur Decianus lib. 8. c. 35.

Sacrilegium.

§ 54. DE Sacrilego furto actum est supra, sub titulo Peculatus. & sic etiam de aliis speciebus sacrilegii sub aliis titulis incidenter agitur, ubi legi possunt.



Scor-

Scortatio.

Vide superius Fornicatio.

Seditio.

SUMMARIVM.

Quinam dicantur Seditiosi. § 55.
Refertur aurea Bullæ titulus 15. eod.
Refertur Ordinatio Carol. Criminalis. § 56.
Refertur Constitutio Juris Civilis quæ est in Codice eod.
Quanam sint Cause excusantes à poena ordinaria. § 57.

§ 55. Seditiosi dicuntur, qui illicitas congregationes & conventicula à Jure reprobata furim parant, cives, populumque comotionibus turbant, de quibus est titulus 15. aureæ Bullæ, & sic habet. [Detestandas præterea, & sacris legibus reprobatas conspirationes & conventicula, seu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, inter personam & personam, seu inter personam & civitatem, prætextu parentelæ, seu receptionis in cives, vel alterius cujusvisque coloris conjurationes, in super confederationes & pacta, necnon & consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censuimus potius corruptelam, reprobamus, damnamus, & ex certa scientia irritamus, quas civitates, seu personæ cujusvisque conditionis aut status sive inter se, sive cum aliis absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eidem dominis nominatim non exceptis fecerint hæcenus, & facere præsumpserint in futuro, sicut per sacras Divorum Augustorum Prædecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigunt, & castatas, illis confederationibus & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & civitates, ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se formasse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliquid duxerimus ordinandum, personam singularem, quæ de cetero contra tenorem præsentis constitutionis ac legis nostræ antiquæ, super hoc editæ confederationes, colligationes, conspirationes, & pacta hujusmodi inire præsumpserit, ultra poenam legis ejusdem poenam infamix, & poenam decem librarum auri, Civitatem verò, vel Universitatem in hanc legem nostrâ similiter committentem,

centum librarum auri; necnon amissionis & privationis libertatum & privilegiorum Imperialium poenas incurrite decernimus, eo ipso medietate poenæ hujusmodi pecuniariæ fisco Imperiali, reliqua verò domino districtus, in cujus præjudicium facta fuerint, applicanda.]

§ 56. Ordinatio Criminalis art. 127. statuit. Quisquis talis Seditiosis contra Magistratum auctor fuerit convictus, is quandoque pro gravitate delicti gladio puniti, nonnunquam si levius sit delictum, Virgis, vel fustibus cædi, & in perpetuum exilium, ex urbe, territorio, & provincia, pro ratione personarum, temporum aut locorum, arbitrio Judicis expelli potest, adhibito Jurisperitorum consilio, ne cui injuria irogetur ab hujusmodi seditiosis.

In Codice extat titulus de Seditiosis, constans duabus Legibus. [I. t. Si quis contra cividentissimam jurisdictionem suscipere plebem, & adversus publicam disciplinam defendere fortasse tentaverit, multam gravissimam sustinebit. l. 2. In nullis locis aut civitatibus, tumultuosis clamoribus, cujusquam interpellationem contumeliosa procedat, nec ad solam cujusquam invidiam petulantia verba jactentur, scituris his, qui hujusmodi voces emisserint, moverintque tumultus, se quidem fructum ex his quæ postulant, nullatenus habituros, subdendos autem poenis ipsis, quas de seditiosis & tumultus auctoribus verisissimè Decreta sanxerunt.] Hujusmodi decretum habetur l. 38. §. 2. ff. de poenis. [Auctores seditiosis & tumultus populo concitato, pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestis obijciuntur, aut in insulam deportantur. Deinde ex l. 6. §. 9. habetur, quòd auctoribus non indulgeatur appellatio, sed statim fiat poenæ executio. Auctores autem censentur principales illi, quorum auctoritate ceteri moventur. Et lege §. C. de his qui ad Eccles. confug. dicitur. [Quod si quis contra hujusmodi edicti normam aut agere aliquid, aut seditiosis movere tentaverit, ultimo supplicio subiacet.] Huc etiam facit legis 28. §. 3. ff. de poenis. [Solent quidam, qui vulgò juvenes se appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare: qui si amplius nihil admiserint, nec ante sint à Præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spe cæculis eis interdicitur: quod si ita correcti in hisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt, nonnunquam capite plectendi. Scilicet cum sæpius seditiosè & turbulentè se gesserint, & aliquoties deprehensi tractati clementius, in eadem temeritate propoliti perseveraverint.]

§ 57. Causas excusantes à poena ordinaria Seditiosis, plurimas refert Decianus, & ex eo describens Gilhusius. Sed pleræque earum ipsò naturæ lumine claræ sunt. Una vel altera est

notabilis. 1. Si quis propter privatam inimicitiam ulciscendam tumultum excitasset (ut solet quandoque fieri à Studiis in Academiis, præsertim ubi etiam milites sunt) non ita graviter puniretur, arg. *legis 11. §. 1. ff. de capivis.* [In civilibus dissensionibus, quamvis læpè per eas Respublica lædatur, non tamen in exitum Reipublicæ contenditur, qui in alterutras partes discedent.] 2. Si seditio ad alicujus seditiosam acclamationem non est secuta, solus enim conatus non punitur penâ ordinariâ.

Simoniam.

SUMMARIUM.

O Rigor nominis Simoniam, & ejusdem definitio. 558.

An in hoc delicto detur parvitas materia. 559. Divisio Simoniam in eam quæ est Juris naturalis, & quæ divini. 560.

Divisio in Mentalem, Conventionalem, & Realem. eod.

An donatio rei temporalis, accedente obligatione dandi spirituale, constituat ex natura rei contractum Simoniam. 561.

Cur non Simoniam, matrimonii contractus cum pacto dotis certæ, venditio Calicis consecrati &c. Item pactum pro sepultura. 562.

An sit Simoniam, accipere pretium pro resolutione casus conscientie. 563.

An possit accipi merces propriæ dictæ pro labore in actionibus spiritualibus. 564.

Item pro licentia concionandi, benedicendi nuptias, audiendi confessiones &c. 565.

Item accipere aliquid prætextu sustentationis pro dispensatione in Jurejuramento, votis, impedimentis &c. 566.

An fructus Beneficij possint à Beneficiario locari alteri ad tempus vite. 567.

An absque Simoniam possint propria auctoritate redimi pensiones habentes annexum onus recitandi officium B. V. eod.

An absque Simoniam possint res spiritualis commutari cum aliâ spirituali. 568.

Quomodo faciendæ resignatio Beneficij, absque Simoniam. 569.

An libere resignans beneficium in manibus Ordinarii, rogans absque pacto, ut conferatur certæ personæ, faciat contra Constit. Pii P. de Censibus. eod.

An prohibita sint Resignationes Beneficiorum conditionaliter: cum accessu, regressu, ingressu. 570.

Quænam penæ sint Simoniam in Jure impostæ, vel imponendæ. 571. & seq.

Quæ restitutio faciendæ eorum quæ per Simoniam acquisita sunt. 577.

Quis cum Simoniam dispensare, aut eos absolvere possit. 574.

In crimine Simoniam quis etiam aliquin prohibitus, accusare potest. eod.

558. **D**E hoc delicto apud Civilistas, præsertim heterodoxos, altum silentium. Canonistis verò materia est celeberrima. Originem nominis habet à Simone Mago, de quo act. 8. volente pecuniâ emergere potestatem dandi Spiritum Sanctum. Est vitium Religioni oppositum, & Sacrilegium.

Definitur Simoniam: Studiola voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel annexum spirituali, ut sunt Beneficia Ecclesiastica. In qua definitione Emptio & Venditio sumuntur largè, pro quocunque pacto non gratuito sed oneroso, interveniente pretio temporali, seu muneris, seu lingue, seu obsequij. Per spirituale intelligitur omne quod aliquo modo spirituale est quoad sui comparationem seu acquisitionem, hoc est, quod præcisè viribus naturalibus comparari non potest, ut Gratia Dei, Sacramenta, Consecrationes, Benedictiones Ecclesiasticæ, & omnis usus potestatis supernaturalis. Annexæ Supernaturalibus sunt triplicis generis: Antecedentia, ut Jus Patronatus, Electio, Præbendatio, Collatio. Concomitantia, ut labor in administratione Sacramentorum, aliorumque officiorum divinarum. Consequentia, ut Beneficia Ecclesiastica, supponentia Officium.

559. **Q**uæritur. An in hoc crimine detur levitas Materie, excusans à peccato mortali, sicut datur in transgressione voti. R. Ex certa Theol. sententia negativè. Sicut nec datur in blasphemia, perjurio assertorio, infidelitate. Non enim potest provenire hæc parvitas ex vilitate ipsius rei spiritualis, quia quantumcumque hæc in suo genere videtur exigua, ut aqua benedicta, agnus cereus &c. est tamen gravis injuria & irreverentia, eam pretio temporali tanquam proportionato æ equali æstimare. Neque potest provenire ex parvitate pretij quod datum est, quia quod minus datur, eo major est irreverentia.

560. **D**ividitur Simoniam in eam quæ est Juris divini & naturalis, & eam quæ est Juris humani. Prior est, quando aliqua res de se spiritualis venditur, vel emitur, ut Sacramenta, Benedictiones &c. Posterior est, quæ à sola lege Ecclesiastica ortum habet, cuius statuto secularis res bene vendi potest. Talia sunt Statuta, quæ prohibent beneficiorum commutationem sub peccato Simoniam. In priorè non potest Pontifex dispensare, bene tamen in posterio-

Dividitur II. In Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis est propositum internum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale, vel contra, sine pacto tamen externo. Conventionalis est, quando insuper proceditur ad externam conventionem, sine executione tamen utriusque facta: quod si ex una tantum parte facta est executio, vocatur mixta. Realis est, quando saltem quoad inchoatam solutionem ex utraque parte completa est. Hinc sequitur, non esse Simoniam, pro beneficio temporali accepto gratitudinem exercere per collationem muneris spiritualis.

561. **Q**uæritur I. An Donatio rei temporalis, accedente obligatione & pacto dandi spirituale, constituat ex natura rei, & seclusâ lege prohibente contractum Simoniam. R. Negativè. Itâ communis, & ipsâ praxi approbata sententia. Nam absque scrupulo sunt hujusmodi pacta cum beneficiariis de stipendio pro Missâ. Item fructus beneficii, ut decimæ, & oblationes eâ lege donantur, ut beneficiarius præstet ministeria spiritualia. Itâ relinquuntur annui redditus in anniversariis, & fundatione capellæ, cum obligatione ad certum numerum Sacrificiorum. Ratio autem est, quia in hujusmodi casibus non intervenit voluntas tantum æstimandi donum temporale, ut adæquet in pretio rem spirituales, ad quam exhibendam alter obligatur, sed ille se sponte obligat ex iustitia, prout se possit obligare, si nihil acciperet.

562. **Q**uæritur II. Quomodo à Simoniam defendatur, qui contrahit matrimonium cum pacto tantæ vel tantæ dotis dandæ, vel donationis propter nuptias. R. Illam dotem non offerri nec exigere pretium matrimonii quâ Sacramentum est, sed quâ contractus civilis est, & ut sic ad æqualitatem reduci potest.

Idem cum proportionè dandum est de Venditione calicis consecrati, Ecclesiæ & similium, quæ antecederent ad consecrationem vel benedictionem, & seorsim considerata, habent in se valorem pretio æstimabilem, nec consecratio accedens impedit, quominus illud pretium exigatur, modo nihil amplius exigatur inuitu consecrationis. Ratio est, quia si accedens consecratio impedit venditionem, sequeretur, nec servum baptizatum, utpote caractere spirituali baptismali insignitum, vendi posse, quod ridiculum est. Quod si tamen calix & similia venduntur ad usus profanos, fractione prius profananda sunt.

Pro sepulchris solet quandoque aliquid exigere: quod ut excusetur à Simoniam, dicendum est, consuetudine factum esse, ut aliquid hujusmodi debeatur & datur in partem sustentationis, sicut

datur stipendium pro Missâ, & administratione Sacramentorum, donando quidem, sed sub modo, & cum obligatione ad actionem sacram.

563. **Q**uæritur III. An sit Simoniam, accipere pretium pro resolutione casus conscientie. Affirmat Lessius. Rectius negant Suarez & Palao cum S. Thoma. Ratio est, quia illa instructio est naturalis, & humano modo acquisita, nec per se ordinatur ad finem supernaturalem. Ergo sicut Canonistæ pretium accipere solent pro suis consiliis & responsis, cur non possit Theologus? Unde à fortiori non erit Simoniam emergentium gradum Doctoratus Theologici, electionem ad Cathedram Theologicam. Erit tamen Simoniam, concionari pro pretio, quia concio refertur per se primò ad movendos auditores ad bonum, & Ministerium Concionatoris divinum est, de quo Christus Matth. 10. dicit: *Gratui accepistis gratis date.* Quomodo autem in sustentationem accipere possit Concionator aliquid temporale, patet ex stipendio pro Missâ.

564. **Q**uæritur IV. An possit accipi merces propriæ dictæ pro labore adhibendo in actionibus spiritualibus. R. 1. Pro labore intrinseco, & essentialiter in illis operibus incluso, non potest accipi merces. Itâ contra Lessium & alios Juristas, Valentia, Toletus, Suarez, Gurtier. Palao. Ratio, quia hujusmodi labor nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus. Ergo si opus de se vendi non potest, neque labor illi intrinsecus. Confinatur exemplo. Sicut lapis pretiosus habens in se certam virtutem, si prohibeatur vendi, etiam illa virtus vendi prohibetur: Atqui itâ se habet labor essentialiter incluso in opere spirituali. Ergo &c. 2. Labor accidentalis, & extrinsecus operibus factis, v.g. iter anius leucæ ad dicendum Sacrum, studium longum præmittendum concionis, (nisi sint annexa beneficio) item expectare per notabile tempus, dicere Missam certo loco & tempore, &c. mercede æstimari possunt, quia sunt onera temporalia, privantia laborantem aliis commodis temporalibus.

565. **Q**uæritur V. An pro licentia concionandi, benedicendi nuptias, audiendi confessiones &c. possit absque Simoniam accipi pretium. R. Negativè. Quia illa licentia procedit ex potestate spirituali. Quod si tamen concedendo alteri talem licentiam, carere deberes aliquo lucro, alioquin tibi obvertitur, potes accipere tantum ab altero, ut te indecimum conserves.

566. **Q**uæritur VI. An sit Simoniam, accipere aliquid prætextu sustentationis pro dispensatione in Jurejuramento, votis, impedimentis conjugum &c. Dixi: Prætextu sustentationis: si enim acciperetur aliquid

titulo mercedis, esse utique Simonia, & quidem Juris divini. Ad quæsitum ergo respondetur, non esse quidem Simoniæ Juris divini, esse tamen Simoniæ Juris humani, expressi in Tridentino *sess. 21. c. 18. de reform.* ibi. [Quod si iurgis iustitæ ratio, & major quandoque utilitas postularerit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratiâ, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio surrepticia censetur.] In hoc ipso tamen potest Pontifex dispensare, & defecto dispensat, quando in sui & suorum officialium sustentationem petitur pecunia pro hujusmodi dispensationibus à Curia Romana.

567. **Queritur VII.** An fructus Beneficii possint à Beneficiario locari alteri pro tempore vite. *Re.* Ex communiore DD. quod licet in Extravag. *Ambrosia. de reb. Eccles. non alien.* solum triennium concedatur, eam tamen restrictionem non esse communiter receptam, & ideo, ubi recepta non est, posse fieri.

Queritur VIII. An absque Simonia possint propriâ auctoritate redimi pensiones, habentes annexum onus recitandi Officium B. Virginis. *Re.* Affirmative. Non enim enitur aliquid spirituale, sed temporale, nempe libertas & deobligatio ab onere solvendi fructus per quandam anticipatam solutionem. Solet tamen, pro majori securitate, & ex stylo Curie adhiberi auctoritas Summi Pontificis.

568. **Queritur IX.** An absque Simonia possint res spirituales cum alia spirituali commutari. *Re.* 1. Loquendo de Beneficiis, talem commutationem absolute factam, esse Simoniæ Juris humani, si fiat auctoritate privatâ Beneficiarium, & esse omnino irritam, imò Beneficiarii amittunt Beneficia: Auctoritate tamen Episcopi, & (sede vacante) Capituli, ac probabiliter etiam auctoritate Prælatorum habentium Jus conferendi Beneficia, id fieri potest, exceptis specialiter reservatis Pontifici. *c. 5. de rerum permur.* ibi. [Generaliter itaque tenes, quod commutationes præbandarum de Jure fieri non possunt, præsertim cum pacto præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continet semper Simoniæ. Si autem Episcopus causam insperari necessitatem, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.] De amissione Beneficii, non quidem ipso Jure, sed per sententiam, habetur in cap. 7. eod. ibi. *Et hunc præpositurâ, & illam archidiaconatu curavimus spoliare, super hoc de spiritibus sententiam contra eos ferentes.* *Re.* II. Aliæ res spirituales possunt privatâ auctoritate commutari, ut calix cum calice, quia nullibi pro-

hibetur. Imò & proprietas & possessio Ecclesiarum potest permutari, & excessus unius suppleri pecuniâ, ut habetur *c. 6. eod. ibi.* [Respondemus, quod cum de dictis Parochialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari, & in permutatione possessionum per se non sit inhibitorium, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire: refusa certâ pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniiri, si tamen, quòd illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur.]

569. **Queritur X.** Quomodo faciendâ sit resignatio seu Renuntiatio Beneficii, ut absit labes Simoniæ. Pro resolutione

Advertendum est I. Ad hoc ut resignatio valida sit, & Beneficium vacet, requiri acceptationem Superioris, nisi Beneficium sit litigiosum, aut nondum possessum, sed tantum per electionem aut præsentationem aut nominationem Jus ad illud quæsitum.

Advertendum II. Neminem, præter Summum Pontificem, posse admittere resignationes factas sub hac conditione aut modo: *ut alteri conferatur.* Nam Episcopus non potest conferre de novo Beneficium, nisi prius vacet, qualiter tamen non vacaret per illam resignationem conditionalem.

Dubium ergo præfens est, an resignans liberè Beneficium in manibus Ordinarii, & ab illo supplicando petens, ut alicui certæ personæ conferat, vel eâ intentione resignans, sed sine pacto, faciat contra Constitutionem Pii. V. de Censibus, ubi dicitur. [Caveant attem Episcopi & alii prædicti, itemque omnes Electores, & Patroni tam Ecclesiastici, quam Laici quicumque sint, ne verbo quidem aut nutu futuri in hujusmodi Beneficiis & officiis successores, ab ipsis resignantibus aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos aut intentio qualiscunque intercedat.] Ex quibus verbis non pauci DD. colligunt, in hujusmodi resignatione committi Simoniæ. Verum, Castro Palao cum pluribus aliis negat, quia in prædictâ constitutione solum prohibetur designatio cum intentione in conventionem tacitam vel expressam deductâ.

570. **Queritur II.** An prohibeantur Resignationes Beneficiorum Confidentialia. *Re.* Prohiberi in Bulla Pii IV. incip. Romanum, & est in Bull. 109. in qua prohibentur Resignationes cum *accessu, regressu, vel ingressu* ad Beneficium, & quælibet aliæ resignationes & receptiones Beneficii cum reservatione pensionis vel fructus. *Accessus* vocatur, si mihi impedito obstatem, vel alia de causâ Prælati conferat Jus,

ut, quamprimum capax fuero, ingrediar Beneficium, quod interim conferatur Petro. *Regressus* dicitur, quando Beneficium à me possessum cedo alteri, servato jure regrediendi ad illud, si forte ille pensionem non solverit, aut Religionem ingrediar, aut Episcopatus fiat, aut præmoriatur. *Ingressus* denique dicitur, si Beneficium mihi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignem, reservato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si ille præmoriatur, aut fiat Episcopus. De his plura videri possunt apud Lessium *lib. 2. c. 35. dub. 16. n. 98. Suar. lib. 4. cap. 4. Palao disp. 3. puncto 18. quæ ad meum intentum non faciunt.*

571. **Queritur XII.** Quænam pœnæ sint à Jure impostæ, vel ex Jure dispositione imponendæ. *Re.* 1. Pro triplici speciali Simonia, scilicet, ingressu in Religionem, Ordinis susceptione, & circa Beneficia commissa, sunt pœnæ certæ à Jure constitutæ, quas ipso facto Simoniacus incurrit. Pro ingressu Simoniaco in Religionem, habentur in Extravag. 1. de Simonia, quæ ita summantur. [Pactus vel jocalia exigentes & etiam dantes pro Religionis ingressu, si sint singulares personæ, excommunicationis, si Conventus vel Capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurunt: cujus utriusque vinculi absolute soli Papa reservatur, aliis pœnis in suo robore duraturis, nisi ingredientibus aliquid sponte, & sine pacto obtulerint.] Pro collatione Simoniacæ Ordinum & Beneficiorum, feruntur pœnæ in extra v. 2. cujus summa est. [Omnes Simoniaci, cujuscunque dignitatis, aut status, sunt ipso facto excommunicati, nec habent simoniacæ ordinati Ordinis executionem. & electiones aut aliæ provisiones per simoniæ factæ non valent, nec Jus percipiendi fructus tribunt. Mediatores etiam Simoniæ eadem Censurâ ligantur, qui à solo Papa absolventur. & omnes prædicti sunt Summo Pontifici revelandi.]

572. *Re.* II. Pro Simonia alio modo commissa, non est ulla pœna lata, sed pro qualitate criminis tenenda. Quædam tamen pœnæ veniunt ex ipso Jure imponendæ. v. g. Simoniacus in Beneficio deponendus est ab officio & Beneficio. *c. 11. de Simon.* ibi. [Respondemus, quòd si manifestum est, eundem Archidiaconum & Clericum ob causam illam promissâ recepisse, aut ex inde confessi fuerint in Jure, vel legitime convicti, ab Altaris ministerio sunt perpetuo deponendi. Si tantum publicâ laborant infamia, eis canonice purgatio debet indicî.] Et universali ter loquitur cap. 6. eod. [Sicut Simoniaca pœnis sua magnitudine alios motibus vincit, ita sine dilatione mox, ut ejus signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesia Dei debet eli-

minari atque repellî.] & can. 110. ca. 1. q. 1. [Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta Canonum Sanctiones, & decreta Sanctorum Patrum eos omnino damnamus, ac deponendos esse, Apostolicâ auctoritate sancimus.] Quod si delictum sit secretum, quamvis Judicis confiteri, non est deponendus, sed secreta penitentia injungenda. *c. 20. de Simon:* ibi. [Alioquin non erit turum (cum sit secretus excessus) ipsum invitum ab eodem officio coercere, cui tamen secretam penitentiam, secundum quod tibi visum fuerit, injungere non postponas.]

573. **Queritur XIII.** Quæ restititio faciendâ eorum, quæ per Simoniæ acquisitionem sunt. *Re.* 1. Res spirituales (exceptis Beneficiis, cum reverâ acquiratur illius dominium, non est restituenda ante Judicis sententiam. v. g. Jus patronatus. *Re.* 2. Pretium acceptum pro Beneficio ipso Jure restituendum est, & quidem Ecclesiæ in qua est Beneficium, vel pauperibus ex arbitrio Superioris: quamvis probabile sit, posse ante sententiam restituere ei qui dedit. cap. 11. in fine. de Simon. [Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint a præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Exoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi sine dilutione periculo retinere non possint.] *Re.* 3. Pretium acceptum pro qualibet alia Simonia, nõ est restituendum ante Judicis sententiam, nisi recipiens contra Justitiam peccasset, v. g. accipiendo ultra condignam sustentationem pro administratione Sacramentorum, casu quo illa esset Simoniaca. Tunc enim ipso Jure naturæ, & ex radice injustæ acquisitionis restituere tenetur.

574. **Queritur XIV.** Quis cum Simoniacis dispensare, aut eos absolvere possit. *Re.* 1. In pœnis ex genere suo perpetuis, cujuscumque infamia, depositio, excommunicatio, si ab ipso Jure latæ sunt, solus Pontifex absolvere potest, de Jure communi. Episcopus vero & Mendicantes possunt ex specialibus privilegiis absolvere, si non sit excommunicatio publica, & ad forum contentiosum deducta. A suspensione suscipiendi ulteriorem Ordinem, non nisi Pontifex absolvere potest, & probabilis etiam à suspensione Ordinum susceptorum. quamvis Suarez putet, etiam Episcopum posse absolvere. Idem de Interdicto dicendum. Ab omnibus tamen his Censuris absolvere potest Episcopus, si publicæ non sint, nec ad forum contentiosum deductæ, virtute Tridentini *Conc. sess. 24. c. 6. de Reformat.* [Licet Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis

ad forum contentiosum, dispensare, & in quibusque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ referatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diocesi sua per seipsum aut Vicarium ad id specialiter deputatum, in foro conscientie gratia absolvere, impositâ penitentia salutaris. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientie æstantum, non eorum Vicariis sit permissum.] Et hæc pro nostro instituto de Simonia factis, quæ raro est Judiciorum Criminalium materia, cum sapius esse deberet. Solum addo, quod Simonia sit crimen exceptum, hoc est, in quo quisvis, alioquin prohibitus, accusare potest. c. 7. de Simon. *Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem,*

Sodomia.

SUMMARIUM.

Quanam peccata ad crimen sodomie reducantur. 175.

Quæ penâ plenam sit hoc crimen. 176.

An, reo frequentiam consentio, penâ sit exasperanda. 177.

Qualiter constare debeat de corpore delicti, ut penâ ordinariæ locus sit. 178.

An in hoc crimine puniatur conatus, opere solum inchoato. 179.

Quid si Judæus cum Christiana, vel e contra, peccet carnaliter, quomodo puniendi. 180.

175. **O**mnia criminum Venerorum gravissimum est peccatum quod vocatur Sodomiticum, eo quod propter illud Sodomitæ fuerint igne de celo misso consumpti. Reducitur autem ad hoc crimen omnis actus Venerus contra naturam commissus, saltem unius supposito cum alio supposito, sive sit homo, sive brutum, sive humanum cadaver, & sive in eodem, sive in diverso sexu. Dixi saltem. Nam non desunt DD. qui molliorem, quam homo secum ipse exercet, & Latini *Masturbationem* vocant, etiam Sodomiticum peccatum esse velint: quamvis communior opinio sit, non comprehendi illis legibus, quibus penâ mortis statuitur peccato Sodomitico, & mox referentur, sed velint, esse puniendum penâ extraordinariâ, v. g. relegatione, vel fustigatione: communiter etiam DD. post Damhouderos observant, vix unquam hoc delictum ad forum externum pervenire.

De variis modis delinquendi sodomitice le-

gatur Damhouderus, quos explicare verecundus calamus abhorret: unde & ipsa leges, ut videbimus, terminantur, quam fieri potest modestissimis, sicut & ipsa Sacra scriptura in pluribus locis, nisi quod S. Paulus ad Romanos scribens, utpote qui in hoc crimine obdormerant, meritò illis suam turpitudinem in gentilibus explicariis exprobravit c. 1. v. 26. *Et seq. Nam femina eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicta naturali usu femine, exarserunt in desideris suis ad in vicem &c.*

176. **Q**uæritur I. Quâ penâ plectendum sit hoc crimen. R. De hac exflare Novellam 77. §. 2. [Præcipimus, permanentes in prædictis illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & ultimis subdere suppliciis.] Et lege 1. C. ad L. Jul. de adult. [Cum vir nubi in feminam viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor queritur, nec videtur? jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis penis subdantur intames, qui sunt, vel qui futuri sunt.]

In Imperio Romano ex Carol. Ord. art. 116. sic habetur. Si homo cum bruto, mas cum mare, femina cum femina luxuriam exercet, rei sunt mortis, & ex recepta consuetudine comburendi. Quibus verbis indicatur, esse consuetudinem observandam. Ea autem ferè ubique est, ut prius capite plectantur (nisi vel ætas vel alia circumstantia excuset) & deinde concrementur cadavera tam agentis quam patientis. Si cum bruto, vivus ipse (nisi ob animæ periculum vel ob aliam causam delictum extenuantem gratia fiat) & etiam brutum comburitur; cuius ratio reddi solet, ne ulla tam abominandi flagitii memoria apud homines exstet: quod & Sacræ Scripturæ consentaneum est, *Levit. 20. v. 15. Qui cum pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidatur. Mulier quæ succubuerit qualicumque jumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos.*

177. **Q**uæritur II. An, si reus confiteatur, se sapius hujusmodi flagitium commisisse, penâ viva combustionis sit exasperanda per antecedentem aliquam corporis afflictionem. R. Ex communi DD. apud Carpovium g. 76. à n. 40. Negativè. Nam quando infligitur penâ atrocissima, qualis est combustio, non solent penæ ob repetitum delictum exasperari, nisi expressâ lege id constitutum sit, ut fit in crimine latrocinii, Veneficii, parricidii: Atqui nihil hujusmodi legitur constitutum in hoc delicto. Et ita

ita in facti contingentia non semel pronuntiantur Scabini Liphenses. Quod autem idem Scabini noluerint penam exasperare illi, qui insuper suam privignam necaverat, quod ab ea fuerit proditus, mihi non probatur, quia concurrerunt duo gravissima delicta, Sodomia & Parricidium.

178. **Q**uæritur III. An, & qualiter constare debeat de corpore delicti, ut penâ ordinariâ infligatur. R. Si in flagranti deprehensus est reus, hoc ipso satis constat. Si homo cum homine confiteatur se peccasse, utriusque confessio sufficit, nam in occultis vix potest aliter constare. Si reus confessus sit cum bruto se deliquisse, tunc ex quibusdam indicibus Judex poterit arbitrari, quæ tamen difficulter haberi poterunt, nam quæ refert Carpovius n. 53. non plus probant, quam crimen attentatum. Raro hujusmodi rei puniuntur, aut ad Judicium veniunt, nisi in flagranti deprehensi, & per testes convincendi, saltem per unum, qui accedente confessione rei sufficit, alioquin raro posset hujusmodi crimen penâ ordinariâ puniri. Imò Farinacius tenet, in hoc crimine non debere constare de corpore delicti, quod fortè dixit de corpore delicti consumati, quia præsumitur, nisi contrarium constet.

179. **Q**uæritur IV. An in hoc crimine puniatur conatus, opere non consummato, sed solum inchoato. Assumant cum Jo. Damhoudero aliqui, quibus assentitur Gail. l. 1. de pace publ. c. 14. n. 26. saltem si opus perfecisset, nisi impeditus aut impotens fuisset. Benignior tamen est sententia negans, quam cum Julio Claro tenent Jacobus Menoch. Farina: quos refert & sequitur Carpovius. Pro qua sententia videtur esse textus efficax l. 1. §. fin. ff. de extraordinar. crimin. [Qui puero stuprum, abducto eo, vel corrupto comite, persuaserit, aut mulierem, puellamve interpellaverit, quidve impudicitie gratia fecerit, donum præbuerit, pretiumve, quo is persuadear, dederit: perfectio flagitii puniatur capite, imperfecto in insulam deportatur.] cui deportationis hodie relegatio vel bannum successit. Deinde, licet regula generalis olim fuerit, ut in atrocissimis criminibus etiam conatus puniatur, ab ea tamen per consuetudinem generalem eareus recessum est, nisi expressâ lege caveatur; & ad summum ius etiam exceptis, quæ immediatè Reipublice sunt perniciosâ, ut jam semel iterumque supra memini: atqui in hoc delicto non reperitur expressè statutum, nec immediatè est Reipublice perniciosum: ergo nisi alicubi usus habeat contrarium, videtur ordinariæ penæ non esse locus; Boërius testatur, aliquem tamen fuisse morte punitum.

Consuetudo etiam habet, ut casu quo So-

domita bestialis ex aliqua causa mitius quam igne punitur, neque bruta comburatur, sed occisum è medio tollatur.

180. **S**olet hic incidens Quæstio moveri, an si Judæus cum Christiana, vel Christianus cum Judæa carnaliter peccet, puniendi sint ut Sodomitæ. & si Boërii credimus, Parisiis talis est combustus. Sed communiter DD. & rectè negant, quamvis puniendus sit talis penâ illâ, quæ apud veteres fuit adulterii, non quidem semper mortis, sed mitiore: & numeratur inter publica Judicia, ut cuiusvis liceat accusare. l. 6. C. de Judic. [Nequis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judæus Christianus conjugium forciatur, nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen obtinebit, liberate ad accusandum publicis quoque vocibus relaxatâ.] Inter hos est impedimentum dirimens, quod dicitur: *Disparitas cultûs.* sed hæc aliò pertinent.

Sortilegium. Superstitio.

Vide supra sub titulo. *Magia.*

Stuprum.

SUMMARIUM.

Stuprum quando dicitur committi. Aliud voluntarium aliud violentum. 181.

Quanam sit penâ stupri voluntarii. 182.

An per cap. 1. de adulterii penâ Legum Civilium sit correctio. 183.

An hæc penæ sufficiant, si puella blanditiis, aliisque fraudibus inducitur. 184.

Cui credatur, si stuprator neget dolum, puella asserat. 185.

Puella nullam injuriam passâ an pater agere injuriarum possit. 186.

Quanto tempore duret actio civilis puellæ ad obtinendam dotem. 187.

Quid si puella sit vilis conditionis, & inops. 188.

Quid si conjugatus dolo sit stupravit puellam, an teneatur dotare. 189.

Quid si puella nolit stupratorem habere conjugem. 190.

Quid si cum puella convenit de certo pretio. 191.

An stuprator habeat electionem ducendi, vel dotandi, si promisso matrimonio ad stuprum induxit. 192.

Quid si sponsa asserat matrimonium promissam, ille neget, cui credendum. eod.

B b

Ad